

DL 12.



Libro hic ipſius Cellarij, qui et ſua manu
paucula ad marginem adnotavit, fuit:
a. 1744. ex diuentiona nepotis eius,
iunioris Ludowici, libraria ſupellecti,
ſe acceſſit Bibliotheca Academiae
Friedriciana.

AD PARENTALIA
BEATIS MANIBUS
CLARISSIMI QUONDAM VIRI
M. JOHANNIS CRAVSII,
RECTORIS SCHOLÆ EPISCO-
PALIS CIZENSIUM MERITISSIMI,

DEDICATA:

SIMULQVE
AD ORATIONEM SUAM
AUSPICALEM

XVII. Julii ab hora II. X. habendam
OMNIA ERUDITORUM, QUÆ HIC
LOCI SUNT, COLLEGIA DECEN-
TER INVITAT

LEGITIMUS SUCCESSOR

M. CHRISTOPHORUS CELLARIUS,
SMALCALDIA-FRANCUS.

C I Z Æ,

Typis Johann. Ruperti Keil/

Anno 1676.

d.

M. JOHANNIS GRAYSHI
RECTORIS SCHOLAE
DE DICTA
AD ORATIONEM SUAM
AUSTRIACAM

KÖN. PR. FR.
UNIVERS.
ZVHALLE





Oluit ergo immortalis bonitas su-
premi Numinis, ut quam Misniae or-
ram abhinc triennio reliqueram, de-
nuo divinis auspiciis repeterem, &
primariam hanc Episcopatus Num-
burgici Scholam cum Vinariensi itidem illu-
stri commutarem. Est vero hæc occulta fato-
rum vis, ut quod semel decretum est & appro-
batum in cœlesti curia, nullis mortalium con-
siliis interverti queat, sed in circulum quasi re-
fluat, quicquid alio derivatum fuerat declina-
tumque. Nolim equidem eo impietatis proce-
dere, ut inevitabilem latentium causarum ne-
xum seriemque crederem, quæ æternos conse-
quentiæ ordines involvant & immutabili neces-
sitate ducant: sed si fata appellamus, DEI
providam illam, quam de mortalium rebus
gerit, curam intelligimus, quæ quidem nulla
nos dura necessitate cogit aut corripit, suaviter
tamen tum nostros, tum Superiorum ani-
mos movet, ut id faciamus, quod visum est
DEO, ejusque sanctissima voluntate consti-
tutum fuit. Cum in vicino Augusteo Orienta-
les literas profiterer, nihil minus induxeram
animum, quam fore aliquando, ut Scholæ
huic Episcopali præficerer, præsertim cum

Vinariam avocatus essem, ubi si novam mutationem mortalium more, qui vana subinde sperant & cogitant, animo forsan præfagiebam, potius longè disstas regiones me petiturum, quam in Misniam nostram reversurum esse fallaci augurio divinabam. Sed DEUS, qui rebus mortalium moderatur, magnis Aulæ, Ecclesiæ, Reique publicæ Atlantibus pervasit, ut postquam *Clarissimus Crausius* è vita abierat, me successorem *Reverendissimo & Serenissimo Principi ac Domino, Domino MAURITIO, Duci Saxonie, Juliaci, Clivia & Montium, Postulato Administratori Episcopatus Numburgici, Landgravo Thuringia, Marchioni Misnia & Lusatia utriusque, Principali dignitate Comiti de Henneberg, Comiti de Marca & Ravenspurg, Dynastæ Ravenstein, & Ballivia Thuringicæ Gubernatori, &c. Principi ac Domino nostro Clementissimo* commendarent, quod quia divinis auspiciis factum erat, idem DEI Numen pondus commendationi addidit, ut ab Eius Serenitate per *Illustrissimi Regiminis Illustrum Cancellarium, Magnificos Procancellarium & Consiliarios* solenniter ad hanc scholam regendam *Vinaria* advocarer. Itaque pro eo, ac debui, secutus sum, quo fata me retraxerunt, qui

qui abhinc triennio etiam non invitus seque-
bar, quo me tum temporis pertrahebant.
Quod si sapientis semper est habitum tem-
poribus cedere, id est, necessitati parere; cer-
te pietatis erit, nolle refragari divino impe-
rio factorumque sanctissimæ necessitati. Huc
igitur, quod feliciter vertat, DEO duce, &
auspice Serenissimo Principe delatus, auspica-
lem orationem, quam Superiorum voluntas
in hanc diem reiecit, solenni inaugurationi ad-
hibendam esse tam pium, quam necessarium
esse duximus. Meditanti vero & identidem co-
gitanti, quid in ejusmodi Procerum confes-
su, quem illustrem fore spes mea omniumque
præfagit, potissimum differerem, quo erudi-
tissimas Patronorum aures oblectarem, sal-
tem minus offenderem; diu nihil in men-
tem venit, quod constanti consilio appro-
barem, nec mutata sententia subinde rejice-
rem. Plurimos mortalium ita affectos esse
sentiebam, ut novitatis studio traherentur,
& à novo artium magistro nihil, quod se-
mel iterumve auditum sit, expectarent. Quos-
dam etiam ita curiosos & delicati ingenii in-
telligebam, ut nisi proferretur res jucunda
æque

æque ac subtilis; neque novitas tueri gratiam
in ipsorum animis auribusque possit. Dum
sic hinc inde curis distrahor, nec facile materi-
am invenio, quæ omnibus probetur, saltem
minus displiceat; officii, quod ingressus sum,
me ratio monuit, imo vicit, ut de scholastica re,
in primis autem de *ingeniorum scrutinio*, quod fe-
licis informationis fundamentum est, & quam
exinde formari variarique decet, *docendi me-
thodo* nonnihil dicere, simulque DEO Maximo,
Optimo, Serenissimo Patriæ Patri, Veneran-
dis Proceribus & Patronis gratias publice agere
constituerem. Nihil enim minus abesse à per-
sona mea putabam, quam de scholis differere,
nec curiosas subtilitates convenire ei existima-
bam, cujus officium est sine fuce & ambagibus
omnia, id est, plane, candide atque perspicue
juventuti proponere. Dum vero inauguran-
dus sum legitimæ successioni, venit mihi in
mentem cogitare, aut dubitare potius, an iusta
beato Viro pro eo, ac lex humanitatis exigit,
sint omnia persoluta. Inauspicato enim Spar-
tam adiri nondum factis omnibus, quæ ante-
cessori debebantur, vel pia, vel superstitiosa an-
tiquitatis fuit opinio, quæ quod multum in ani-
mis hominum valet, &, nescio quæ, omnia præ-
ferre

ferre solet, non temere nobis illa negligenda videri potest. Quæ vero humanitatis officia fuere, beatis Manibus pro collegio aut propinquitate præstita esse nullus dubito, si hoc unum excepero, quod *scholastica parentationis* consuetudini, à majoribus traditæ, nostræ se Musæ debere profitentur. Ritus pariter antiquitate sua atque pietate commendatur, ut si quis virtute clarus obierit mortem, filius superstes, si adultior & præsens esset, laudes ejus pro Rostris diceret: si nullus superesset, idem pietatis officium præstaret τῷ ἄλλων εἰ τις διὰ γένους ὑπαίρει, *quisquis genere aut necessitudine proximus erat.* (Polyb. lib. 6. extremo.) Quis vero propinquior fuit beato Crausio, qui filium ex se genitum non reliquit, quam frater mœstissimæ Viduæ, nempe

JOHANNES Frischmuth / Jenensis, Magni Philologi & de literaria re dudum meritissimi haud degener filius? Huic igitur has partes demandavimus, ut prius Affinis laudes pro Rostris Scholæ diceret, quam auspiciam facerem Orationis illius, quæ inaugurabit veterum more cum vitæ, tum disciplinæ genus, quod DEO volente nuperrime susceptum à nobis fuit. Utrique solennitati Illustris & Magnificorum INSPECTORUM præsentiam, si citra damnum gra-

graviorum occupationum fieri possit, magno-
pere precamur, quod Musarum nostratum
spiritum ex ipsorum gratia & benevolentia tra-
hi existimamus, & altius se erecturas esse con-
fidimus, si ad innumera beneficentiae signa
eximius hic praesentiae exoptatissime splendor
accesserit. Ceteros vero utriusque Reipubl.
Patres, & quotquot hoc oppidum literatos ca-
pit, itidem observanter & officiose rogamus,
ut si commodum fuerit, suum in bonas literas
amorem, quo cum primis beatum Antecesso-
rem dignati sunt, ostendant denuo, & mihi
quoque spem ejusdem potiundi faciant. Quod
me attinet, operam dabo, ut intelligant, se non
ingratum hominem beneficio praevernisse, sed
cum sibi devinctum ivisse, qui nemini concessu-
rus sit, ut vel Superiores majori observantia co-
lat, vel equalium propensionem mutuis offi-
ciis exsuperare studeat. P. P. Cizæ XVI. Julii
M DC LXXVI.


Nr 3165


8^o

1007

1007







PARENTALIA
 ATIS MANIBUS
 MI QUONDAM VIRI
 NNIS CRAVSII,
 SCHOLÆ EPISCO-
 ENSIUM MERITISSIMI,
 EDICATA:
 SIMULQUE
 ATIONEM SUAM
 SPICALEM
ab hora II X. habendam
 DITORUM, QUÆ HIC
 , COLLEGIA DECEN-
 ER INVITAT
 IMUS SUCCESSOR
 PHORUS CELLARIUS,
 ALDIA-FRANCUS.

C I Z Æ,
 hann. Ruperti Keil/
 Anno 1676.

a.

